

nat, nec methodo supra descripta tractata praecipitatum fuscum ferruginosum demittat. Solvuntur duplo pondere aquae frigidae, servidae minore quam aequali, aeris siccii contactu paramunt.

Vitriolum Zincii crudum, quod Mangnum plerumque continet, nullo modo ita depurari potest, ut Floribus Zincii ex eo praecipitatione parandis respondeat.

**† VITRUM ANTIMONII, Oxydum Stibii sulphuratum vitreum, Stibium sulphuratum oxydum vitrificatum, Antimonium vitrificatum, Oxydum Stibii semivitreum.** Spieg. glanggläss. Verre d'Antimoine.

Rec. Antimonii crudi grossiusculi pulverati q. v., in testa figulina leni igne inter assiduam agitationem caute ure, cavens ne liquetur, donec colorem griseum induerit. Ab initio ignis moderatissimum obtineatur, postea magis magis augeatur, ut Sulphuris quam plurimum delagret et Antimonium in Acidum vertatur. Si forsitan in grumas abierit, post refrigerationem denudo in pulverem redigatur. Pulverem griseum in crucibulo argillaceo funde animum eo advertens, ut fusus justum colorum habeat, nec nimis rubicundum, quod ulteriore calcinatione vel adjecto Antimoni diaphoretico evitatur, nec nimis pallidum, quod adjiciendo Antimonio crudo curatur. Liquatum effunde in laminas lapidea strata tenuia.

Sint frustula vitrea, colore aurantiaco pellucida, fragilia, acidis vegetabilibus et muriatico facile solubilia. Vitrum Antimonii Oxydum Antimonii impurum, Ferro plerumque et Sulphureto Antimonii semper gravidum, jure e re medica ejectum est. Inserviebat Vino emetic et Tartaro emetic parando, quae hodie facilius ex Antimonii oxydis puris praeparantur.

**VITRUM ANTIMONII CERATUM Ph. Wirt.**

Rec. Cerae flavae Drachm. unam, cui in cochleari ferreo fusae Vitri Antimonii in pulverem tenuissimum redacti Uncia una additur, totum leni igne liquatur et spatula continuo acutum, per semihoram in pulverem, tabaco hispanico aemulum, redigatur.

**† ZINCUM ACETICUM, Zincum acetatum, Acetas Zincicus.** Gjiglaures Zinforyd. Acetate de Zinc.

Rec. Laminarum Zincii, vel Florum Zincii calcinatione praeparatorum q. v., leni calore solve in Aceto concentrato, filtra et evaporatione, sub fine spontanea, in crystallos fac concrescere.

II.

*Usus:* externus pro collyrii et injectio-

nibus.

Sunt crystalli flexibles, candidae, nitoris taleici vel matris perlaram. Continent Zincii acetici unum, Aquae tria pond. Mixt.

**† ZINCUM FERRO-HYDROCYANICUM.** Eisenblauesaures Zinforyd, Cyanefenzink. Ferrocyanure de Zinc.

Rec. Kali borussici q. v., solve in decupla quantitate aquae destillatae, tum affunde solutionem Vitrioli Zincii puri, quamdiu praecipitatum album efficitur, quod aqua calida bene lotum exsicca. Cum in sequente voce saepius permutatum est. *Usus* nondum bene probatus nec virtus nota.

**† ZINCUM HYDROCYANICUM, Cyanuretum Zincii.** Cyaninz.

Cyanure de Zinc.

Rec. Kali borussici Unc. octo, in lamina ferrea leni igne penitus exsicca, tum addere Cinerum clavellatorum depuratorum Uncias tres, haec intime misce et in crucibulo Hassiaco ad rubescientiam ignito funde. Massam effunde in laminam marmorean, crucibulum aqua servida lava, aquam ex crucibulo in massam salinam infunde et hanc in ea solve, tum filtra per chartam. Solutioni Kali cyanati addere Acidum acetici, ut reactio distincte acida appareat, tum affunde Solutionem Vitrioli Zincii puri, quamdiu praecipitatum efficitur. Praecipitatum album aqua calida probe ablue tum exsicca. Non male quoque praeparatur ex Acido hydrocyanico per distillationem obtento et Zincio acetico soluto, quibus praecipitatum idem Zincum scilicet cyanatum demittitur. Quum vero acidum hydrocyanicum optime ex Kali borussico cum Cineribus clavellatis fuso et Acido sulphurico diluto destillet, alteram operationem, distillationis scilicet, evitandam esse, censui, quod methodo illa sit. Pulvis albissimus aqua non solubilis hinc inde in spasmus ventriculi et neuralgiis adhibitus, cuius usus et virtus nondum satis bene eluent.

**† ZINCUM IODATUM, Zincum hydroiodicum.** Iodinf. Iodure de Zinc.

Rec. Iodi q. v., Aquae destillatae triplicem vel quadruplicem, in vitrum orificio ampliore instructum immisisse adiice laminarum vel frustulorum Zincii metallici dimidium quod erat Iodum, et totum sepone per aliquot dies, donec miscela colorem penitus amiserit, tum filtra, solutionem evaporatione in patina porcellanea ad siccum redige. In vitris optime claudendis conde, quia humorem avidissime ex aere colligit. *Usus* rarissimus, externus hinc inde in unguentis.

890 ZINCUM MURIATICUM — ZINCUM SULPHURICUM

† ZINCUM MURIATICUM vid.  
Butyrum Zincī (p. 143).

ZINCUM OXYDATUM ALBUM  
vid. Flores Zincī (p. 434).

ZINCUM SULPHURICUM s. VI-  
TRIOLATUM vid. Vitriolum Zincī pu-  
rum (p. 888).